
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

PESTE.

QUAM
PRÆSIDE DEO OPT. MAX.
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,
D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S.S. Th.
Doctoris, Ejusdemque Facultatis in Illustri Academia Lugd.
Bat. ut & Antiquitatis Ecclesiasticæ, Profess. Primarii,
Ecclesiastæ disertissimi, Acad. Bibliothecarii,
NEC-NON
Amplissimi Senatûs Academici Consensu, ut & Almæ
Facultatis MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitime consequendis,
Publico examini subjicit
BARTOLDUS FLORIANUS GERSTMANN,
Göttingensis-Saxo.
Ad diem 2 Decemb., loco horisque solitis.

8



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVII.

Clarissimis, Expertissimis, Celeberrimisque

VIRIS

D. CAROLO DRELINCURTIO, Philos. ac Medicinæ Doctori, Christianissimi Galliarum Regis Consiliario, nec non gloriæ M. Principis de Turenna olim Archiatro; Nunc vero in Ill. hac Academia Medicinæ Antecessori dignissimo, Anatomico nulli secundo.

D. LUCÆ SCHACHT, S. S. M. C. L. A. M. Philos. ac Medicinæ Doctori, hujusque in Ill. hac Academia Professori Ordinario, Collegii Chirurgici Præsidi, Practico Felicissimo, Exquisitissimo.

D. CAROLO DE MAETS, Philos. ac Medicinæ Doctori hujusque in Illustr. hac Academia Professori Ordinario, Artis Spagyricæ Cultori indefesso, exercitatissimo. p t. Decano.

D. PAULO HERMANS, Philos. ac Medicinæ Doctori, hujusque in Illustr. hac Academia Professori Ordinario, Botanico, si ullus, Versatissimo.

D. ANTONIO NUCK, Medicinæ Doctori, olim Hagæ Comitis, nunc Lugduni Batavorum Professori Anatomiæ Celeberrimo, Exercitatissimoque.

Disputationem hanc Inauguralem officiosissime

D. D. D.

BARTOLDUS FLORIANUS GERSTMANN, Auctor





DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PESTE.

PROOEMIUM.



irum fortasse Tibi L. B. accidet, quod de Peste *disputem, cum tot jam volumina de hac materia agentia inveniantur. Sed mirari desines, si audieris, quid ad hoc me impulerit; Legi enim multos qui de* Peste *scripserunt, sed transcriptores fere omnes, eminus scribentes, & vel extra pestis tempora, speculationum plausibilitate contenti, vel intra pestis tempora metu mortis conjecturales, in varias ita quidem abeuntes sententias, rem vero nunquam explicantes, sed in majores absurditates ducentes. Eorum rationes omnes, quantum licuit accurate perpendi, sed mihi non satisfecère. Cum bis ipse in peste vixerim, (absit*

dicto jactantia) & gratia Dei benignissimi servatus sim multaque tum observarim, quæ dictis rationibus bene fulciri non videbantur: unde etiam hanc materiam pro themate graduali eligendi, & meam de ea opinionem orbi erudito ob oculos ponendi occasionem sumpsi. Accedit quod alias Medicinæ Studiosus, tanquam praxi plerunque hactenus destitutus disputaturus, nisi cum umbris digladiari velit, omnia ex libris & Autoribus, haurire necesse habeat. Equidem me non fugit, ea, quæ in his thesibus continentur, non approbari ab omnibus, sed rejici, & tanquam nova derideri. Nova vero non sunt; cum Autores fere omnes, ubi de causis remotis agunt, temperare sibi vix possint, quin terroris pariter mentionem faciant. Ast in hoc mihi evenit, quod multis evenire solet; nempe unus placere nequit omnibus. Expertis expertus scribo, eosque assentientes habebo. Minus experti si hæc paucula, semotis præconceptis opinionbus legent, & serio de iis cogitabunt, sibi suisque ægrotis melius consulent, nec turpi fuga, quam tamen multi non sine læsione famæ tristi illo tempore arripere solent, maculam sibi inurent. Faxit summus Parens, ut omnia cedant in sui nominis gloriam, & ægrotorum salutem!

THESIS I.

De Origine, Etymologia, & significatione vocis *Pestis* hic dicere supersedeo, cum de his pleni sint Autorum libri. Sufficiat annotasse vocem hanc nullo modo involvere venenum, neque contagium, ut vulgo statuunt secum ferre. *Pestis est morbus acutissimus, hominem cito interimens, à terrore & imaginatione ortum trahens.* Non definio per febrem, ut nonnulli faciunt, quia interdum sine febre est, si cui tamen ita lubeat, de hoc non disputabo. Ut dicta & dicenda melius intelligantur, paucula de massa nostri sanguinis annotare haud erit inutile. Constat eadem ex particulis diversi generis & figuræ, oleosis, volatilibus, terrestribus, aquosis, justa proportione inter se mixtis,

for-

formatis in globulos ſeu guttulas, quarum quiſque ex diverſis particulis compoſitus, liquori aqueo ſeu ſero innatantibus. Cujus analyſin (cum nimis prolixum foret, ſi pertractare velim) ex principiis Chimicis *Illuſtr. Boyle* nuper nobis exhibuit, item Acutus *Vir Leeuwenhoeck* in ſuis operibus Belgico Idiomate conſcriptis, qui videri poſſunt. Rubedo ſeu color ſanguinis à ſibi incumbentibus globulis, in quorum poris & interſtitiis materia ætherea repercutitur, & repercutiendo viſui hunc colorem exhibet, oritur. Huic non obſtat, quod nonnulli hunc colorem à ſalibus deducant, cum eadem ſalia habeant poros, in quibus materia ætherea repercuti poteſt, Colorque nihil eſt aliud, quam umbratilis corporum diſpoſitio, orta ab irregulari corporum poſi tu ſuperficiecculis & poris variis inſtructorum. Colorem autem illum non eſſe de eſſentia ſanguinis experimento clare demonſtrari poteſt; ſi enim aqua calida aliquoties ſuperaffunditur ſanguini, antequam concreſcit, color ruber totus evaneſcit, & maſſa albicans relinquitur, quæ nihil aliud eſt, quam chylus poros habens conſtantiores, unde color ille albus, qua de re legi poſſunt Anatomici. Taceo obſervationes & experimenta annotata paſſim ab Anatomicis, qui poſt unam vel duas horas à ſumtis alimentis venam ſecuerunt, & chylum ex vena manantem conſpexerunt. Porro hic color non apparet ubique, ſed pro ratione pororum nunc hic, nunc alio in loco, alio modo coloratus liquor ſecernitur. Eo enim modo puto fieri circulationem ſanguiuis cum non dentur anaſtomoſes arteriæ & venæ, ſed arteriæ junguntur tubuli, per quos ſanguis tranſit, uſque dum accedat ad venarum tubulos, & ibi ſe exoneret. Omnes autem humores, quicunque etiam ſint à ſanguine ſecerni, eorumque circulationem eſſe continuam, manifeſte probant mammæ, glandulæ, teſtes, quæ corpora nihil aliud ſunt, niſi arteriæ & venæ minutiſſimæ, eum in modum convolutæ, ut ob minimam exilitatem & denſam convolutionem caro eſſe videantur, quam vaſorum convolutionem Anatomici poſtea glandulas vocarunt. Neceſſario autem debet aliqua eorum eſſe origo, unde alias deduceremus liquorem quem fundunt, cum per carnem tranſſudare vix poſſit; nam nullus in corpore liquor, ſive ſit ſauguis, ſive ſerum intrat partes ſolidas, ſed per vias eum in finem factas ducitur. Patet id in contuſione, ubi ſanguis

guis extravasatus, & in partem solidam effusus putrescit, & sæpe partem corrumpit, ut infra, ubi de carbunculis dicetur, pluribus patebit.

§. 2. Vocem *Contagium*, qua vulgo Autores in describenda natura *pestis* utuntur, lubens omitto, cum eadem semper apud eos indicet *venenum* ut in peste, sive *sal corrosivum*, ut in Dysenteria, sive aliud ut in Phthisi, & fere nihil aliud, nisi occultam qualitatem dicere, & intelligere videantur, sicque inter se dissentiant, & quale sit venenum nesciant, dum unus statuit esse *volatile* massam sanguineam resolvens, alter videns carbunculos & bubones, in *acido corrosivo coagulante* naturam Pestis ejusque essentiam consistere asserit, alius videns horrendos vomitus, *arsenicale* autumat, quartus observans ægrotos, quos pestis dormiendo invadit, *narcoticum* venenum affirmat. Sed omnes hæ opiniones rem non explicant, multis adhuc difficultatibus laborant, & admodum incertæ sunt. Certe non video, quare venenum statuendum, cum omnia pestis phœnomena habeant eandem rationem & causas cum morbis extra pestem grassantibus. Quoad sedem alius in ventriculo, alius in capite, alius in alio loco sedem fixam habere contendit, inde *vomitoria* alii, *venæsectionem* alii, alii *purgationem* suadent. Ita à scopo aberrant, & inter se dissentiunt. Ad summam, quis omnes omnium opiniones recensendo persequi potest? Plura qui cupit adeat Autores, *Helmont. Tum. pest. Kircher. Scrutin. pest. Sennert. Cardiluc. Sylv. Barbett.* & alios, qui ex professo hanc materiam pertractarunt. Neque explicatur essentia pestis per *malignitatem*, quæ nihil aliud significat, quam morbum esse periculosum. *Vid. B. Bontekoe in tract. Belg.* Reden over de Koortzen. *p. 32.*

§. 3. Causam *pestis* proximam dico esse *terrorem*, non *aërem & in eodem latitans venenum*. Nam consensu omnium Medicorum qui de peste Germaniæ nuperrima scripserunt, constat, aërem non fuisse infectum; alias enim non potuissent loca infecta peste excubiis coërceri, ne malum ulterius serperet. Experientia manifeste docuit, malum ulterius non fuisse propagatum, si sani vitarunt colloquia & consortia infectorum. Nihil omnino probant omnia experimenta instituta cum aqua, quam in vase aliquo per noctem in domo reponunt, &, si mane cuticula cœrulea superinducta est aquæ, pro infecta certo pronuntiant, cum

cum tamen hæc aquæ corruptio, si vera est, possit aut à vase, quod forsan non fuit purum, aut ab ipsa aqua, quæ diversis in locis nunc has, nunc illas particulas secum vehit, ortum trahere, ita ut in re adeo incerta, certi quid velle concludere, absurdum judicem. Non absimile pariter experimentum, ad aërem impurum dignoscendum à puro, faciunt cum pane recens cocto. Unde passim in scriptis loimographicis pistoribus panem recens coctum & adhuc calentem ex ædibus portare prohibitum, antequam frigefactus sit sub magna pœna: dicunt enim panem recentem ex aëre venenum attrahere. Sunt quoque nugæ, quod quidam dicant, se vidisse fumum sulphureum per aërem volantem. Causas alias superfluas & nugas inutiles plane rejicio, cum certo non constet, quod unquam à fœtore, aut aliis rebus, quæ pro causis remotissimis adducuntur, orta pestis fuerit. Ut autem terroris effectus & vis in nostra corpora melius pateat, necesse est ut in naturam ejus inquiram paulo penitius.

§. 4. Terror est subita & repentina alteratio & mutatio, facta in corpore hominis organico ob mali cujusdam ingentis repræsentationem in glandula pineali animæ, qua fit, ut anima functionum ordinariarum oblita spiritus ad partes modo solemni non amandet, inde massa sanguinea turbatur, globulorum junctura & mixtura interrumpitur, & tot symptomatibus via sternitur. Talem autem vim habere terrorem, ut tantas in machina nostra turbas excitet, multi passim Autores, qui de peste scripserunt, confirmant. *Barbette*, quamvis dicat, pestem esse morbum incomprehensibilem, tamen metum & terrorem posse pestem inducere statuit, *in tract. de peste p. m.* 257. *ita inquiens: Metus multis mortem immisit, & certa morti subjecit.* Terror igitur, quem inter causas remotas ponit, est etiam causa proxima. Terror hominem viso lupo reddit ἄφονον, non quod aliquid veneni ex oculis lupi exhalet, sed quod ob imminens vitæ periculum homo terrorem concipiat, dum objectum tetrum animæ repræsentatur, quæ de periculo cogitans à muniis solitis desistit, nec ad nervos linguæ spiritus amandat, inde homo volens auxilium ab aliis clamando petere, aut animal eodem sonitu abigere, mutus non potest, de quo videri potest pluribus *Dan. Maj. Chirurg. Infus. pag.* 277. Ex recentioribus

bus hanc ſententiam haud ita dudum publico ſcripto egregie probavit *Experientiſſimus Rivinus*, qui videri poterit *in diſſertatione de peſte Lipſienſi.* Ipſe meus Parens conſono annotatis aliorum Hiſtoriis Medicis annotato exemplo, habuit Epilepticum, qui incedens in hypocauſtum, ubi quædam Epilepſiam patiebatur, horrorem concepit, eodemque malo ſtatim correptus eſt, idque in hunc uſque diem ſervat; à purgantibus paroxiſmus ceſſat, à ſudoriferis augetur. Hinc prout diverſimode objecta animæ repræſentantur, diverſi ſequuntur effectus. Sic cum Feſti Nativitatis Chriſti die incendium ſurgeret, tres peſte laborantes, qui in vado ſalutis tum erant, cum denuo terrorem caperent, ſubito ſunt exſtincti. Eodem modo Anno 1687. ante hebdomadam unam vel alteram vidi in Noſocomio Academico Leydenſi (cujus in curandis ægris curam tum habebat *Dn. Prof. Hermannus nunquam ſine debito honore & obſervantia mihi nominandus Fautor & Præceptor*) puellam quandam 15, vel 16 annorum, quæ terrore percuſſa inde ſenſit notabiles præcordiorum anxietates, nauſeam, reſpirationem difficilem, adeo ut ſemper aperto ore reſpirare coacta fuerit, appetitum dejectum, aliaque ſymptomata. Menſes in principio quidem obſtructi poſt rediêre, dictis tamen ſymptomatibus continuantibus. Taceo obſervat. Practicorum, qui multos à terrore mortuos referunt. Peſtem autem à terrore, non à veneno originem ſumere, rationibus & exemplis clare demonſtrare annitar.

§. 5. Ad hoc probandum hic repetere debeo, quod ſuperius jam dixi, Aërem non eſſe infectum, adeoque contagio univerſali deſtructo, jam quoque non dari contagium particulare dicam. Cur enim ex tot particularibus contagiis, puto tot ædibus, tot perſonis infectis (cum in una domo ſæpe octo, novem & plures ægroti inveniantur) exhalare non poſſit tanta copia veneni peſtilentis, ut aërem inficere potens ſit, tanquam, ſi Autoribus credendum, adeo ſui multiplicativum, præprimis, cum juxta *Sanctorii Medicinam ſtaticam* plus una die per inſenſibilem transſpirationem ſecedat à corpore, quam per trium dierum ſedes, qui eum in finem videri poteſt pluribus. Sed cum nec hoc fiat, nemo mihi facile perſuadebit, dari *contagium particulare.* Excogitatum eſt forſan ab iis, qui cum univerſale contagium

gium retinere non potuerunt, ut venenum tamen retinere possint, particulare finxerunt. Destructis itaque contagiis universali & particulari, necessario ad aliam causam pestis confugiendum, quam supra jam dixi esse terrorem. Communiter, ab omnibus Loimographis statuitur, quod venenum pestis subito ad interiora penetret, citissimeque omnes corporis partes pervadat, & tamen simul dicunt quod permultos sæpe menses in corpore possit delitescere. Sed, qui hoc fiat dum quæritur, confugiunt ad dispositionem, & in parte aliqua solida latere dicunt. Ast quia extra accedit, & vel per os, seu poros corporis defertur ad massam sanguineam juxta eorum mentem, ob summam volatilitatem & penetrantiam fulminis instar eam statim destruet, & cum spiritus corporis partes solidas pervadant, (cum æque circulentur ac reliqui humores) facile cum iisdem posset conjungi. Quid autem sit dispositio illa non possunt explicare; est vocabulum quod usu & assuefactione didicerunt, & retinent, ut facultates concoctricem, expultricem, attractricem, &c. meras chymæras. Quare autem pestis in corpore latere possit, infra demonstrabitur.

§.6. Contagium quod scilicet sit multiplicativum sui non adesse arguit, 1. Quod tota civitas, si jam aliquot ædes sunt infectæ & ideo venenum jam multiplicatum, simul & semel non inficiatur, quin potius experientia docet; quod omnes illi qui consortia hominum vitant, peste non inficiciantur, ut supra §.5. pluribus jam dictum. 2. Quod si venenum omnes invaderet, etiam non timentes invaderet, quod tamen non fit, quamdiu animo sunt constanti, venenum enim pestilentiale esset hoc modo rationale, & posset nosse, hunc vel illum sibi à veneno non timere. 3. Curatio indicat in peste non esse venenum; nam in curatione omne absolvunt punctum sudorifera, ut infra dicetur. 4. Curatio per sudorifera esset inutilis; si venenum esset in peste; nam juxta eorum mentem sudorifera expellunt è corpore, & à centro ad peripheriam ducunt; si hoc esset, æger venenum expulsum per poros à calore magis patulos denuo statim hauriret, dum in eodem lecto, in quo sudavit, manet; videmus autem contrarium: si sudor in principio terroris instituitur, & bene succedit æger melius se habet, & certo restituitur. 5. Omnia phœnomena, quæ in peste apparent, per causas naturales sine veneno explicari possunt; quare itaque

que confugeremus ad rem, cujus indolem & naturam nemo huc usque acutissimorum Philosophorum & Medicorum expiscari potuit. Id quod *Cardilucius*, qui, ut ipse fatetur, aliquoties in peste vixit, testatur, dum *in tract. de peste scribit. Pestis naturam adhuc esse incognitam, & neminem reperiri, qui de ea accurate scripserit, & certa ac indubia media contra eam proposuerit. vid. ejus praf. plur.* 6. Apparet etiam ex iis, qui semel peste fuerunt correpti, & evaserunt, intrepide alios visitant, & raro peste iterum corripiuntur, sed simul ac timent, timorem presso pede sequitur malum, & lecto affigit. 7. Si venenum tale in peste esset, quale fingunt Autores, una eademque semper in omnibus observarentur symptomata, quod tamen neutiquam fit, ut ex Historiis & observat. Pestis satis patet, cum in propatulo sit reliqua venena determinatos habere effectus, & uno eodemque modo semper operari. 8. Vomitoria & purgantia indicant non esse venenum; nam nihil juvant, sed massam sanguineam magis turbant. 9. Vulgus causam tam manifestam in se ipso experiens, & omnes tempore pestis, si ex iis quæritur, ex qua causa peste laborent, respondent terrorem concepi, Ich bin erschrocken.

§. 7. Duæ hic objectiones, quæ maximum movent scrupulum, diluendæ; quarum prior est, cur infantes cum non terreantur, peste corripiantur? posterior: Cur, & an bestiæ peste corripiantur, & moriantur. Ut hanc quæstionem recte tractemus, distinguendum puto inter infantes recens natos, & eos qui sunt trium vel quatuor annorum. Ii qui jam aliquo modo provecti ætate sunt, cum habeant corpus organicum anima instructum, eadem ratione, qua reliqui, peste corripiuntur; nam objecto horrendo sibi repræsentato, anima horret, & functiones ordinarias deserit, ut supra ex dictis facile liquet. Anima enim, cum ejus essentia in cogitando consistat, à primis vitæ primordiis cogitat, quamvis in infantibus non æque ut adultis id observemus, cum ob poros & fibrillas nervorum in cerebro tenello adhuc inconstantes, & facile flexiles repræsentata non adeo diu hæreant. Recens nati infantes matribus mortuis nutricum curæ commissi, ob earum negligentiam, lactis defectum, & in ejus locum pultis substitutionem, taliaque incommoda, tristi & inordinato illo tempore obvenientia, moriuntur, signa enim pestis pathognomica in illorum corporibus

tenel-

tenellis non apparent. Ad beſtias quod attinet, eæ cum rationis & ſenſus ſint expertes, hac ratione minime peſte poſſunt corripi. Moriuntur eædem morbis quos ex paſtu contraxerunt. Exempli loco ſit annus 1686. qui fere omnes oves in Comitatu Mansfeldenſi abſumpſit, idque ob ſummum æſtatis præteriti ardorem, & inde graminis defectum. Oves igitur ut famem ſedarent, quicquic in agris invenerunt, herbas etiam noxias comederunt. Ut taceam eas herbas ſeu gramina terræ proximiora depaſcere, ubi vermes inſectaque alia copioſiora repere & nidulari ſolent, facile potuiſſe cum alimentis noxia varia ingerere, ceu colonis patet vegetabilia à muribus arroſa, vel urina eorum aſperſa & madefacta iiſdem plurimum nocere. Inde evenit, ut ob famem in teneriori earum, ideoque attentiore cura præ aliis noſtris cicuribus quadrupedibus obſervando, corpore meatus & tubuli conciderint, & obſtructi ſint, præcipue quia prævio hyemis tempore largiori victu paſtæ fuerint, unde circulatione humorum ob tubulos obſtructos ſufflaminata, mors inſequi debuit. Jam vulgus ad hanc cauſam non attendens accuſat contagium, quod tamen minime eſt. Et hac ratione puto accidere & evenire plurimarum beſtiarum mortem, quam nonnulli Autorum peſtem vocare ſolent. Hiſtoriæ & obſervationes Practicorum de hominibus tempore famis idem teſtantur, imo Anatomici referunt, eorum inteſtina & ventriculum fuiſſe plane corrugata: Notum inſuper eſt, eos, qui longo navali, vel etiam terreſtri per loca deſertiora itinere detenti, & parciſſimo, licet non ſemper malo, victu uti neceſſum habuere, domum reduces pedetentim denuo largiori victu aſſueſcere debere, ob ventriculum anguſtatum, ſimul & ſemel ſe extendere neſcium, ni certam ſibi mortem procurare velint. Præterea nulla ſigna peſtis, nec pathognomica, nec alia in corporibus beſtiarum apparent, inde hominibus propria dici peſtis poteſt.

§. 8. Videor mihi audire quoſdam dicentes, ſi à terrore peſtis, quare non à terrore quovis oritur, & ſuccedit ſtatim peſtis. Sed ſciant, animam noſtram pro ratione objectorum ſemper judicare, & ſecundum hoc judicium ſpiritus ad partes amandare. Quo jam objecta repræſentata atrociora, eo gradus terroris etiam major, id quod ſupra è §. 5. apparet *in Epileptico in quo terror Epilepſiam produxit; Item in puella, cujus* §. 4. *mentio facta*

cta est in qua terror varia symptomata produxit. Sic Langius in Epistolis annotat, quosdam, audito nuntio de Parentum, agnatorum, vel natorum morte, esse mortuos. Gradum terroris auget quod videant paucos evadere, plurimos vero mori, quamvis usi sint medicamentis sat bonis & probatis.

§. 9. Superius allatas rationes propriis exemplis jam illustrabo. *Mater mea volens adire templum ad audiendum verbum Dei, præteriens domum, in qua eodem die horis matutinis adolescentem mortuum peste sciverat, vidensque fenestram apertam, sibi imaginatur per eandem exhalare venenum, idque se mediante aëre attrahare, exinde terrefit, adit templum, durante concione horrorem febrilem, postea calorem per totum corpus sentit, domum rediens conqueritur de dolore capitis, virium prostratione, anxietate cordis. Lectum petit, & datis sudoriferis intra octiduum convalescit. Uxor Gymnasiarchæ, quæ ab omni hominum consortio se ablelienaverat metu pestis, post partum cum fascias infantis lavasset, & calori solis exposuisset in muro domus vicini proximi (quæ tamen nondum erat infecta, sed altera ab hac domus) percipiens fascias spirare odorem tetrum, sibi imaginatur illum esse à veneno pestis, & huc mediante aëre ex ædibus vicini esse allatum; statim horrorem concipit, post dolorem capitis atrocem, bubonem in dextro inguine, qui ad tantam magnitudinem excrevit, ut fere pilam majorem adæquaret, sed nullum carbunculum sensit.* Eadem adhibitis debite alexipharmacis, amisso tamen visu oculi dextri ab inflammatione, convaluit. Expresse affirmavit postea, se peste periisse, si eadem se laborasse scivisset. *Observatu dignissimum, quod nemo in his ædibus, quoniam Heram peste laborare nesciverunt, ægrotaverit. Maritus intrepidus munere Chirurgi functus nullum omnino in corpore pestis vestigium sensit.*

§. 10. Ex solo audito nuntio pestis propagata est. *Nostra ancilla audito nuntio; quod soror ipsius peste laboraret, & morti vicina esset, ex fenestra præ terrore concidebat, & circa vesperam bubones in utroque inguine sentiebat, quæ data Tinctura bezoardica convaluit. Vidua quædam volens adire molam, audit ex proxima domo clamantem Judæi uxorem delirantem, terretur, & domum reversa sentit dolorem capitis, & omnia paulo post pestis signa, sed non vitato frigore, moritur.* Ex insomniis quoque pestem oriri sequens exemplum demonstrabit. *Viduæ, cujus jam mentionem feci soror, somniavit se audire sororem peste laborantem clamantem, & auxilium ejus anxie expe-*

expetentem, inde evigilat, horret, & mane de dolore capitis anxietate præcordiorum conqueritur, & audita morte sororis, eadem moritur. Abdicarat se ab omni hominum consortio, ut pestem fugeret, & ejus gratia extra urbem in lapidicina ædes parare instituerat, citius tamen, quam ædes exstructæ erant; moriebatur. Unicum adhuc è plurimis similibus adduxisse sufficiat: *Juvenis præteriens domum coqui publici circa vesperam, sibi imaginatur se videre coquum, qui tamen jam terræ mandatus erat, in porta ædium stantem, terretur, & domum rediens sub axilla dextra bubonem magnitudine nucis avellanæ sentit. cum anxietate cordis, & virium dejectione, qui tamen uno dáto sudorifero convaluit.* Sexcenta possem adducere exempla, si necessitas efflagitaret. Sed hæc sufficiant, quæ ipse observavi. Sciens scribo, multosque ex iis ægros vidi, & visitavi ipse. Plura exempla qui desiderat, adeat *Experientissimi Rivini dissertationem de peste Lipsiensi*, Item *Gieslerum de peste Brunswicensi; qui aliud agendo talia exempla multa annotavit, & cum omnibus circumstantiis accurate delineavit.*

§. 11. Hæc ipsa imaginatio terrori nostro in morbo fere semper conjuncta, inter causas socias merito ponitur. Oritur autem illa ab anima, dum glandulam pinealem movet, spiritusque ad eos cerebri poros impellit, quorum apertione hoc, quod vult, sibi repræsentat, sive fiat forruito, sive ab alio objecto. Videtur non multum differre à memoria; nam si oritur in anima ab objecto externo malum præteritum repræsentante, anima quasi hoc indesinenter repetit & præteritorum periculorum recordatur. Vulgo de imaginatione in proverbio dicitur, eam esse peste majorem & pejorem, id quod in ipso pestis tempore verum, quanquam in aliis etiam morbis incredibilis fere ejus efficacia luculenter elucescat. Satis superque demonstrant id melancholici, quantas turbas in œconomia animali ea efficere valeat, quando sæpius sibi imaginantur se esse Reges, Nobiles, cum tamen sint ex infimo hominum genere, se esse cornutos, lupos, gallinas, frumentum, & id genus alia, de quibus legi possunt Historiæ & Observationes Practicorum. Ita etiam se res habet in peste, ægri aut adhuc sani dum legunt, vel audiunt signa pestis, & talia forte ex errore diætæ, aut alia ex causa in corpore eveniunt, statim ratiocinantur: jam pestis grassatur, & talibus incipit symptomatibus eaque tu jam tuo

 sentis

ſentis in corpore, ergo tu neceſſario peſtem contraxiſti. Hanc imaginationem ex ſignis illis ſequitur terror, quem preſſo pede ſequitur peſtis, niſi æger animo ſit conſtanti, & periculum aliis cogitationibus avertendo ad ſe redeat. Aſſentientem hac in parte habeo *Cardilucium pag. 24. tract. de peſte, dum ait: Interdum hæc lues, in locis ſanis, ubi aër purus, nec infectio ab aliis locis metuenda, per imaginationem poteſt excitari, ſi nempe aſſerretur nuntius, (quamvis ſit fictus) quendam ex amicis proximis in regione extera peſte mortuum eſſe, inde ſummus terror, ingens etiam de peſte imaginatio oriuntur, unde quis ſibi ipſi morbum realiter accerſere, & conſequenter alias inficere poteſt. Vid. pl. de hoc Rivini diſſertatio. pag. 17.* Cardilucius vero citatus, cauſæ peſtis à ſe ſtatutæ, dum in putrefactione in præcedentibus conſiſtere ait, non levem videtur facere injuriam. Quod autem non conſiſtat in putrefactione, circa cujus hac in parte genium diſſentiunt Autores, præter alia docet quies, putreſcenti rei neceſſaria, quæ in maſſa noſtra ſanguinea, dum vivimus & movemur, non datur ob circulationem ſanguinis reliquorumque in corpore contentorum humorum continuam. Neque tempus putrefactionis cauſæ favet, cum putrefactio lento procedat greſſu, peſtis autem homines ſubito invadat, & enecet. Ultimo pulſus & urina non eſſent, velut ſæpe ſolent eſſe, ſanorum ſimiles, ſi in putrefactione peſtis eſſentia conſiſteret.

§. 12. Reliqua animi pathemata, & affectus, ut triſtitia, dolor, &c. quatenus in iis exceſſus fit, aliquem morbum in corpore gignere poſſunt, unde imaginatio poteſt oriri, imaginationem ſequitur terror, terrorem peſtis, & ſic, ut ſupra jam dixi malum hominem invadit. Hic operæ pretium eſt referre, quomodo peſtis propagetur, ſeu ex uno loco in alium deferatur: id quod ex ſuperioribus itidem haud difficulter intelligitur. In proverbio dicitur: Homo homini Deus, homo homini diabolus. Hoc recte hic applicari poſſe puto: dum enim homo, fugiens ex civitate infecta ſanam ingreditur, & poſt aliquot dies vel hebdomadas repentina morte exſtinguitur, ſtatim de peſte in vicinia graſſante eſt ſuſpicio, viſitatur mortuus, & ſi ſigna pathognomica hujus luis vel ſolitarie vel conjunctim apparent, neceſſario peſte mortuus eſſe pronuntiatur, quod tamen peſte in propinquiore loco graſſante verum. *Novi enim puerum, qui*

pila

pila luserat & inter ludendum ab alio verberibus exceptus erat, domum rediens sub axilla dextra tumorem ingentem sentiebat, quod si tempore pestis accidisset, etiam hic puer peste laborasset. Idem etiam scio de carbunculis, quale exemplum annotat Poppius in suo in Agricolam comment, & qualia ampla praxeos Practicus præcipue in majoribus civitatibus non ita raro occurrunt. De quibus eosdem quandoque referentes audias, si talibus ægris mederentur tempore pestis, se eos pro peste infectis habituros esse. Hæc vero omnia, cum habeant & agnoscant causas absque contagii venenosi pestiferi interventu explicabiles; etiam exrra pestem observantur.

§. 13. Quomodo de civitate in civitatem translata sit pestis, sequentes Historiæ monstrabunt. *Anno O. R. 1681. mense Decembri Islebiam Lipsia, (quæ tunc ob pestem suspecta erat) venit Chirothecarius circa vesperam, adit amitam suam in vico* Die lange strasse *habitantem, quæ eum suscipit, cibum desideranti præparatum affert, quem tamen tunc renuit, de lecto ob dolorem capitis petendo referens. Amita vero ægrotantem in ædibus perferre nolente, exit, & ad fratrem se confert, ubi susceptus cum eodem potat, abit dormitum, mane invenitur mortuus, nullis in corpore pestis signis apparentibus, literisque quas in marsupio habuerat solummodo declarantibus illum Lipsia venisse, qua occasione in tota illa domo omnes, excepta uxore fratris, successive occubuerunt. Anno 1682. mense Martio Muhlhusam Northusa venit pannifex, qui uxorem dolore capitis laborantem deseruerat, exinde terrore concepto elapso mense ibidem mortuus est, signis pestis in corpore apparentibus, id quod Chirurgus, jussu Magistratus ad demortui corpus inspiciendum missus, testatus est. In hac domo post aliquot hebdomadas nonnulli decubuerunt, & vitam cum morte commutarunt.* Posset quis hic quærere, quare per tot hebdomadas latuerit pestis, adeo ut non statim homines sint mortui. Verum eo tempore gradus terroris adeo magnus nondum fuit, &, licet forte aliquid in corpore senserint non statim de signis pestis cogitarunt, nec inde mali quid sibi imaginati sunt, usque dum à Magistratu jussi sunt vitare conventus publicos, & colloquia hominum. Præterea tristitia, paupertas, & alia ansam dederunt morbis in corpore, quos dum perpecerunt, peste se infectos sibi imaginati sunt, inde terror, & consequenter pestis suborta est, ut supra pluribus deduxi.

§. 14.

§. 14. Ad pagos eadem ratione allata est pestis. *Rusticula quadam inscia ingrediens domum infectam ad vendendum spiritum vini, dum egreditur, à vicino de infecta, quam egrediebatur, monetur, unde illa horret, & ad suos rediens peste corripitur, tertia die moritur, atque per hanc omnis pagus inficitur. Pari ratione omnes illi pagi infecti.* Si tempus & instituti ratio permitteret, integrum catalogum Lectori sistere possem, quomodo pedetentim tota Muhlhusa hac lue correpta sit. Obiter annotabo quare omnes morbi tempore pestis in pestem degenerent. Hic duo videntur annotanda, 1. quare hoc eveniat, 2. an hoc semper verum sit? Primum ex superiori structo fundamento à terrore evenire dico, quod ipsum etiam exemplo ægri febricitantis illustrare licet, qui audiens pestem de integro infestare aliquod ædes in vico die Burgstrasse / statim peste corripitur, paucisque diebus post moritur. Nemo domesticorum neque vicinorum quisquam eum in locum venerat in quo tunc temporis pestis grassabatur. Ad alterum dico hanc propositionem non esse universaliter veram, itidem ex supra dicto fundamento. *Parens meus curavit Hydropicum, qui, quoniam non timebat, peste non correptus est; aliquoties eum visitavimus, cum pestem nostris in ædibus haberemus, nemo tamen infectus est, Hydropicus vero ejecto sputo cruento, mortuus est. Faber quidam ferrarius ob Herniam enterocelen morbo Iliaco laborans, medicamentis omnibus in vanum adhibitis, Ileo periit. Pellio ex secta arteria in brachio sinistro aneurismate laborans, accedente sphacelo, amputationem brachii recusans, rupto tuberculo, cum sanguis in parte demortua sisti non possit, cum sanguine animam exspiravit.*

§. 15. Ad signa pestis quod attinet, ea communiter ab Autoribus dividuntur in imminentia, diagnostica & prognostica. Imminentis signa multa ab Autoribus enumerantur, quæ brevitati studens, hic saltem annotabo: Annonæ caritas, clades hominum, muscarum, murium, & similium abundantia, præcedentes febres petechiales, aliæque Epidemiæ, & alia. Astrologorum malas constellationes, cum fere nullum habeant fundamentum in re, & ob incertitudinem hodie à doctis parvi pendantur, nec semper illos infaustos planetarum aspectus, oppositiones, quadrata, conjunctiones, pestis secuta sit, silentio involvam, quamvis hac de re, ut solet de rebus adeo incertis, pro & contra disputari possit. *Legi de iis possunt Argol. Ephem. Kircher. Scrutin.*

pest.

peſt. *Rivinus*, *Comes de Fliſco in tract. de fato*, *& alii.* Non opus eſt confugere ad venenum, aut alias occultas qualitates, cum manifeſtæ cauſæ ſubſunt. Repeto, quod ſuperius jam tum innui, in peſte, & in ſpecie illa, quæ annis 1680. & ſeqq. Germaniam peragrata eſt, nullum fuiſſe venenum. Idem de reliquis ab Autor. ſub veneni cauſa alias deſcriptis peſtibus fere dixerim, cum illo tempore nondum tanta lux in Philoſophia & Medicina illis aſtulſerit. Accedit quod eadem ſympt. eadem ſigna, eadem curatio fuerint. Signa peſtis præſentis, ſeu diagnoſtica ſunt dolor capitis, præcordiorum anxietas, virium dejectio, junctis pathognomicis, bubonibus & carbunculis.

§. 16. Prognoſtica ſigna naturam peſtis, tanquam morbi acutiſſimi ſequuntur, eaque ſunt vel vitæ, vel mortis, apparentque citiſſime in corpore. Ad faciliorem autem eorundem perceptionem aphoriſmis quibuſdam eadem includam.

1. *Qui intra 24 horarum ſpatium nullo omnino utuntur ſudorifero, utplurimum moriuntur; magis enim magiſque turbatur maſſa ſanguinea, & in guttulas reſolvitur.*

2. *Qui dato ſudorifero ſatis potenti non ſudant, nec repetito eodem, vel tertium exhibito, omnes moriuntur: quia ſudore non ſubſequente maſſæ ſanguineæ mixtura non poteſt reſtituti.*

3. *Qui peſte correpti frigus non vitant, omnes moriuntur; illa enim pororum occluſio inhibet inſenſibilem tranſpirationem, quæ tamen in hoc morbo ſumme neceſſaria, ut multis poſſem exemplis illuſtrare, niſi res per ſe clara eſſet.*

4. *Quibus in regione veſicæ, vel internis corporis partibus carbunculi oriuntur, moriuntur; difficultatem enim urinæ pariunt, & interne ob impoſſibilem remediorum adhibitionem interimunt. Vidi in cuſtode B. Mariæ, qui, quoad reliqua bene ſe habebat, ſed obortis duobus carbunculis in regione veſicæ, ex hac vita migrabat.*

5. *Quibus Vomitus, Dyſenteria, vel Diarrhœa oritur, nec ſiſtitur medicamentis, omnes moriuntur; quia malum malo ſuperadditur, & cuncta in pejus ruunt.*

6. *Gravidæ peſte correptæ, dum tempus partus inſtat, omnes moriuntur, quia turbata maſſa ſanguinea ſpiritus ſuppeditare non poteſt, ad hos labores ſufficientes.*

7. *Quos peſtis dormiendo invadit, ſi intra 12 horarum ſpatium non evigilent, & dato ſudorifero ſudent, ſubito moriuntur.*

8. *Quibus petechiæ nigræ in corpore apparent, omnes moriuntur: quia totalis M. S. turbatio & humorum σῆψις jam succedit. Par ratio est etiam rubrarum macularum, si in nigras degenerant, quod plerumque fit. Sine periculo non sunt, spem tamen aliquam, si dato sudorifero evanescunt, præbent.*

9. *Quibus bubones per aliquot jam dies durarunt, & postea retrocedunt, subito moriuntur; quia dum per aliquot dies jam durarunt, materia ob obstructionem in vasis glandularum naturam acidi acquisivit; pus enim inde factum, quod rursus delatum ad M. S. eam turbat denuo, aut nondum restitutam plane dejicit, cum transeat per poros puris alius æther, quam qui est in massa sanguinis, inde hic effectus.*

10. *Quibus retrogredientes bubones dato sudorifero iterum aucti progrediuntur, in iis spes salutis non decollat. Patet ex superiori ratio.*

11. *Qui sudorifero statim post conceptum terrorem propinato bene sudant, dolore etiam capitis, anxietate præcordiorum evanescente, ii utplurimum restituuntur; quia massam sanguinem turbatam restitutam, globulosque bene inter se mixtos indicat.*

12. *Qui convulsionibus corripiuntur, omnes moriuntur, cum eædem per se lethales sint.*

13. *Quibus post aliquos dies delirium supervenit, non sunt sine periculo.*

Sufficiant hæc paucula, qui plura cupit, consulat Auctores, inpr. *Barbett. tract. de peste.* Certa & indubitata hæc minime possunt nominari, cum morbus sit adm. fallax, etiam tum, cum maxime blanditur, inde etiam signa alias satis bona & certa, Medicum expertissimum possunt fallere, cum minima circumstantia hic rem variare possit.

§. 17. Nunc ad symptomata, quæ in peste occurrunt, me convertam, & primo de dolore capitis, ut communissimo in omni peste agam, quorum demonstratio plurimum faciet ad ostendendum, nullum in peste esse venenum, sed hæc omnia massam sanguineam turbatam, ut umbram corpus sequi. Dolor capitis est obstructio vasorum tam internorum, quam externorum, orta à particulis inæqualibus, exiles vasorum meatus transgredi nescientibus, hinc distensio, & consequenter dolor ob partium vicinarum pressionem. Dolores hos capitis velle deducere à veneno, aut vaporibus ex ventriculo ad caput elevatis, nullum habet in re fundamentum. Vera causa duplex statuenda, 1. cum

ob-

ob malam in ventriculo ciborum ſolutionem crudus chylus, i. e. non ſatis diviſus in globulos minores, vel quod æqualis ſit mixtura, generatur, qui maſſæ ſanguineæ in cordis thalamis non bene miſcetur, ſed una cum reliquo ſanguine ad caput defertur, qui veniens ad venarum anguſtiores extremitates, his particulis non reſpondentibus meatui & poris, ibi hærent, & à ſubſequente arterioſo ſanguine vi in exiles illos meatus impelluntur, hinc obſtructio, obſtructionem ſequitur diſtenſio & dolor. 2. Quando maſſa ſanguinea turbatur, i. e. ut ſupra monui, quando globuli non accurate amplius ſunt mixti, ſed conjunguntur, & ex duobus vel tribus fit unus, illi arteriolas plane ingredi neſciunt, ſed pariunt obſtructiones, & conſequenter dolorem. Omnem autem dolorem ab obſtructione & conſequente partium vicinarum preſſione oriri, hic demonſtrare inſtituti ratio non permittit. *Legi poſſunt hac de re Carteſius & alii.*

§. 18. Virium proſtratio eſt functionum in corpore depravatio, orta à defectu ſpirituum, & inde in partes influxu denegato, ob maſſæ ſanguineæ mixturam turbatam, & animæ imperium negatum. Oritur alias virium dejectio ab impuritate maſſæ ſanguineæ, cum ob craſſitiem vel viſciditatem particularum nulli ſpiritus per poros arteriarum in cerebro ſeparari poſſunt. Hinc flacceſcunt muſculi, & munia debita & ſolita peragere recuſant.

§. 19. Vomitus cum non omnibus ſubjectis obveniat, cauſa ejus neceſſario in ventriculo eſt quærenda. Venit autem ab obſtructionibus factis à materia acri intra tunicas ventriculi, quæ vellicando motum convulſivum efficit. Spiritus acidi aſſumpti pro ciendo ſudore, ſymbolum ſuum quoque addere poſſunt. Nam cum omnia turbata ſunt in corpore, & humores in ſua circulatione impediti, hic etiam ſiſtuntur & effectum hunc producunt. Par ratio eſt etiam Diarrhææ. Quoniam obſtructiones in glandulis inteſtinorum factæ, humoreſque in vaſa non poſſunt recipi, neceſſario ad inteſtinorum cavitatem amandari debent, quando jam accedit vellicatio, quæ à bile facile fieri poteſt, inteſtina eoſdem humores per alvum ejicere, & ab iis ſe liberare coguntur. Ex dictis itaque patet haſce humorum excretiones eſſe ſiſtendas, ne ſpiritus nimium abſumantur. Dyſenteria itidem oritur ab obſtructione facta in arteriis, quæ ne-

 ceſſa-

cessario debent rumpi, si accedit sanguinis affluentis Impetus. Acredo humorum vasa exedendo hic etiam juvat. Hæc symptomata in omnibus non observantur, sed prout humores sunt in corpore, ita etiam variant.

§. 20. Hæmorrhagia narium plurimis vulgare symptoma, tertio aut quarto die obveniens, ubi nempe obstructiones in vasis capillaribus nondum penitus sublatæ, fit quod à tergo veniens sanguis eadem perrumpat. Mensium fluxus non semper est symptomaticus, sed potest accidere, ut stato & ordinario tempore veniat, quod diligenter inquirendum à Medico, nec sistendus, nisi sit incommodicus.

§. 21. Delirium fit, cum animæ ideæ repræsentatæ non respondent poris cerebri, aut in alia vestigia incidunt, unde æger in cogitatione, dictis & factis aberrat. Notum est, necessarium esse certum & determinatum respectum ad ideas sensorii communis, item certam pororum dispositionem in cerebro, ut objecta animæ recte possint repræsentari, & illa deinde judicare & cogitata sermone efferre. Jam si ordinaria, &, ut ita dicam, naturalis constitutio sensorii communis ad cerebri poros & meatus mutata est, facile potest concipi, objecta non eodem modo poris cerebri imprimi, & in glandula repræsentari, atque hinc cum menti non aliter quam turbate offeruntur, aliter etiam non potest percipere, ac judicare, hinc ratione adstantium homo delirat. Inde etiam est, quod obscœna loquantur interdum, si nempe ideæ illæ in vestigia talia, olim cerebro impressa, incidant, ea repræsentantur denuo animæ, hæc postea eadem profert.

§. 22. Carus seu Coma somnolentum, quo cum in quibusdam pestis incipit, est cum ægri profunde dormiunt, excitati oculos aperiunt, sed profunde iterum dormiunt. A defectu spirituum Carus provenit, quia iis deficientibus fibrillæ & pori cerebri sufficienter non expanduntur, sed concidunt, inde spiritibus in nervos & membra influxus denegatur, & somnus corpus invadit. Pluribus hæc possem persequi, si instituti ratio permitteret, & alia silentium mihi non imponerent.

§. 23. Inflammatio oculorum oritur non ab effuso sanguine in partes; nam si incisionem feceris in parte inflammata, nec venas & arteriolas læseris, nullum sanguinem elicies: sed ori-

tur.

tur à sale poros partis inflammatæ ita obstruente, ut materia primi elementi liberum transitum non inveniat, inde ob velocem ejus motum partium rubedo, quam inflammationem vocamus, sequitur. *Videatur de hac pluribus Alberding* **van de Verbrandheit**/ It. *Overcamps* **Heel-konst.**

§. 24. Epilepsia in omnibus non observatur, sed in iis saltem, quibus forsan in parte aliqua solida fermentum Epilepticum latens, à sudoriferorum usu expulsum est. Ad massam sanguineam cum defertur, magna vi eam per corpus pellit, & ad cerebrum propulsum particulas justo crassiores in nervos agit, quæ obstructionem ibidem efficientes spirituum progressum impediunt, unde ægri subito concidunt, & partes, quia spiritibus non satis sunt tensæ, non sentiunt. Quale exemplum novi in vietoris uxore, quæ mensium fluxu immodico laborabat, postea Epilepsia corripiebatur. Convulsiones à plicaturis valvularum in nervis existentium oriuntur, quæ si violento modo à spiritibus rumpuntur, vel plicantur, plicas retinent, unde spiritus violenter subtilia nervorum filamenta perrumpunt, & ingentes dolores pariunt. Quia vero plicæ illæ nulla arte iterum explicari possunt, convulsiones omnino lethales sunt.

§. 25. Bubones sunt tumores utplurimum in partibus glandulosis, sub axillis & inguine, ab obstructione & impedita humorum circulatione provenientes. Dum enim in corpore omnia turbantur & spiritibus orbantur, massæ sanguineæ globuli coëunt, ex tribus unus fit, & parvula illa vasa ingredi non possunt. Serum alias fluidum cum non sufficienter à sanguine separetur, id quod jam in ductibus exilibus glandularum est, propelli nequit, hinc stagnat, acescit, tumorem parit, in pus mutatur, tandem cutim peredit, & in ulcus terminatur. Ineptum enim est dicere, naturam, (*quam jamdudum Empedocles rejecit inquiens; quod mortales naturam dicunt, nihil est*) ad extrema corporis expellere venenum. Opinio hæc inde videtur originem suam traxisse, quod veteres statuerint, glandulas esse emunctoria corporis, & ideo per has expelli, quæ noxia sunt in corpore. Ast qui vel leviter in Oeconomia animali versatus est, facile videt, hanc sententiam esse inanem & futilem, cum tam lympha, quam sanguis sit summe in ea necessaria ac utilis. *Legi hanc in rem merentur Malpighius & Steno accuratissimi glandularum examinatores.*

§. 26. Curioſi quidam, volentes perſcrutari partes conſtituentes veneni peſtilentialis, hoſce tumores, ſeu potius bubones manui chimicæ & igni ſubjecerunt, & beneficio deſtillationis ſpiritum acidum obtinuerunt, inde concluſerunt veneni partes potiores conſiſtere in acido. Sed hi commiſerunt fallaciam cauſæ non cauſæ; nam in omni ulcere, qualecunque etiam ſit, eſt acidum, quia humores ab ambiente aëre corrumpuntur. Non igitur mirum, quod particulæ ignis acidæ junctæ acido in ulcere, ſ. bubone produxerint ſpiritum acidum. Manet ergo, bubones in corpore evenire ex impedita hnmorum circulatione, & eorum ſtagnatione. Alii bubones exſectos, & butyro frixatos canibus devorandos dederunt, quos inde dicunt mortuos. Sed, quoniam mihi tale exemplum non obtigit, certi quid dicere non poſſum. Forte ex alia cauſa canes ſunt mortui, quam Autores reticuerunt, vel etiam Chirurgus quidam volens animoſitatem ſuam probare, id finxit, reticent enim illi ſymptomata quæ cani ſubvenerunt, & ſimpliciter eum mortuum eſſe dicunt. Neque indicat venenum, quod difficulter ſanentur, cum alias omnia ulcera ſanatu difficilia, veneno deberent turgere. Sed id dependere puto ex imperitia & mala ac negligenti Chirurgi tractatione. Id enim genus hominum hoc tempore bacchum frequenter ſalutat, adeoque ægros plane negligit, vel negligenter tractat. Plura de hac re eſſent dicenda, ſed tempus & brevitas non concedunt.

§. 27. Carbunculus ſeu Anthrax eſt ulcus cum partium proximarum inflammatione, à ſanguine in vaſis capillaribus in motu impedito & corrupto, ortum ducens. Res eodem modo ſe habet, ut in bubone; ſanguis enim neſciens ingredi tubulos exiles, qui junguntur arteriis, ut exinde venas intret, ſiſtitur & corrumpitur. Fit autem primo puſtula nigra vel fuſca, brevi temporis ſpatio caro circumjecta inflammatur, inflammationem brevi ſequitur gangræna. Petechiæ à totali ſanguinis turbatione oriuntur; Hinc poros vaſorum capillarium tranſire neſciens ſiſtitur & in extremitate cutis maculas exhibet initio rubras, ſed brevi, niſi ſanguis beneficio ſudoriferi & caloris iterum per vias ordinarias ducatur, in nigras & lethales degenerant. Sitis & faucium ariditas vel ab obſtructione vaſorum lymphaticorum & ſalivalium, vel defectu lymphæ in ſanguine, quando per inſen-

insensibilem transpirationem nimium absumitur, aut per sudores, aut alio modo imminuitur. Reliqua symptomata, si adhuc quædam occurrant, brevitati studens, omisi. Poterunt autem eorum causæ, & rationes ex superioribus facile colligi.

§. 28. Hisce absolutis ad præservationem pestis me accingo. Ea est vel Animæ, vel corporis. Ante omnia autem præservatio Theologica, & animarum curatio summe necessaria, & utilis; hac enim neglecta totus homo ob repentinam & inopinatam metuendam mortem misere periclitatur. Summum itaque Numen ardentibus invocandum precibus, ut malum, si non penitus avertere, mitiget, & hilaritatem atque animi constantiam largiri velit, qua in peste præstantius nihil. Seria hominibus agenda est pœnitentia, & vita minus consona præceptis, & voluntati divinæ corrigenda, proximus amandus, & pauperibus est benefaciendum. Hæc de præservatione Theologica. De præservatione corporis acturus, non possum ire in sententiam Autorum, omnium fœtorum amotionem præcipientium, item bestiarum, ut suum, felium, canum internecionem; cum tamen suis pulveribus fumigantibus immisceant rasuram cornu capri, antimonium, & id genus fœtida alia. Equidem haud eo inficias, posse ab hisce terrorem concipi. Sic novi puellam, cum videret canem suum ex domo infecta egredientem, & ad se redeuntem, peste correptam & mortuam. Hunc terrorem scriptis suis impresserunt scriptores loimographi, ubi populo persuadent, ab his rebus omnibus oriri vel augeri venenum in peste, aut à bestiis deportari ex uno loco in alium. Sed falsi sunt, &, si rem æqua lance ponderassent melius sibi & populo prospexissent. Cum enim non sit contagium, neque universale, neque particulare, ut supra probatum, omnia hæc molimina sunt nullius usus, ut fumigatio in ædibus, ignes in plateis ad corrigendendum aërem publicum, accensio pulveris pyrii ad corrigendum aërem in ædibus, & id genus alia. Hæc sunt externa. Quoad subjecta seu personas, iis præscribunt purgantia, sudorifera, aceta bezoardica, Elixiria præservantia, & putredinem à sanguine arcentia, diætam accuratam, vini usum, & talia plura. Sed Lector Benevole, si paululum hæc mecum perpendes, & ipsorum venenum considerabis, dices, ne nihil omnino egisse videantur, hæc præscribunt. Quid enim purgan-

tia,

ria, cum venenum pestis massam sanguineam resolvit, proderunt, sive materia peccans è corpore sit educta, nec ne? quid sudorifera, cum revera actu nondum adsit venenum, aut M. S. turbata? aceta bezoardica, cum acida coagulent, & venenum pestis etiam coagulet, ut nonnullorum est sententia; tale enim additur hoc modo tali, redditur igitur magis tale. Reliqua, excepta diæta, quæ optima, ut in curatione dicetur, sunt supervacanea.

§. 29. Ad veram præservationem quod attinet, in eo consistit, ut hominibus demonstretur, nullum in peste esse venenum, idque ex superioribus allatis rationibus & argumentis optime posse fieri puto. Nam quid præservatio & massæ sanguineæ curatio, nisi Medicus in eo totus sit, ut ex animis hominum præconceptæ opiniones de veneno, de putredine, amoveantur? Hanc ad rem multum conferre videtur correctio scriptorum loimicorum, ut vulgo vocantur, die Pest ordnungen. Nam hæc multum damni afferre mihi persuasum habeo, dum homines ea legentes, recte judicio non utentes, pro veris & indubitatis habent, male sibi applicant, & in metum & damnum incurrunt. Nimis dura hæc esse dicta à nonnullis æstimabuntur. Ast rei veritas elucescet in eo ut supra jam adduxi, quod plebs male ratiocinetur, & pestem sibi contrahat, cum tamen ea symptomata sæpe ex alia causa proveniant. *Sic novi virginem, quæ dolore dentium & tumore gingivarum ingente laborabat, quam vetula eam visitans dicebat esse bubonem, quo audito horruit, tertiaque die mortua est, & ita omnes in ea domo sine veneno infecit. Sancte asseverare possum Parentem meum per totum pestis decursum nullo præservativo usum esse, nisi spongia aceto rutaceo madefacta ad arcendum fœtorem in ædibus ægrotantium.*

§. 30. De Amuletis pleni sunt veterum & recentiorum libri, & indies antiquorum superstitionibus nova adduntur. Sed ingenue fateor, me non concipere, qua ratione pestem avertere possint. Si quempiam servarunt, illum fides, non *virtus Mercurii auellanæ inclusi, aut radicis colchici ante festum Michaëlis effossæ, aut amuletum quod bufo suspensus ad ignem, per vomitum ejecit, servavit.* Operæ pretium non est, omnia Amuletorum genera enarrare, cum ex superioribus eorum insufficientia facile possit colligi. De Amuletis plura qui cupit, adeat *Kircheri Scruti-*

ticium pestis, is enim multa de his compilavit & somniavit. Ineptum quoque est, quod araneas in ædibus alant, putantes eas venenum ad se trahere. Sed tot jam experimenta in vanum facta, nullum auxilium secutum per tot jam secula. Quare miror, & satis mirari non queo, homines adeo obcœcatos esse, ut ad meliora animum non advertant. Fateor Dei singularem pœnam hac in peste subesse. Homines dum Creatorem amplius non verentur, ut homo hominem timeret Deus fecit, & terrorem panicum incussit.

§. 31. Ad avertendum terrorem non juvat quotidie Baccho indulgere. Excessus multis exitio fuit. Neque veneri largius litandum, cum ea spiritus consumat, & sic corpus labefactet. Optimum est moderate vivere, & precibus indulgere. Meticulosi, ut mortem fugiant, loca extera jure petunt, sed, mox, longe, tarde, cedant, recedant, redeant. Deberem etiam nonnulla addere de ædibus pestilentialibus, earumque constitutione, ægrotantium cura, Chirurgis, & aliis tempore pestis summe necessariis; sed ne disputatio in ingentem molem excrescat, silentio hoc involvam; *potestque hanc in rem vider ordo & Methodus præservandi Civitatis Wratislaviensis, in qua omnia prolixe sunt tradita.*

§. 32. Pertinent huc etiam Fonticuli; Hos nonnulli Autorum Loimographicorum ad præservandum à peste suaserunt, putantes, quod per hos omne venenum, antequam effectum aliquem edere possit, si quod hauritur in corpus, educatur. Tormenta sunt fonticuli, & nihil utilitatis in corpore afferunt. Viderunt in ophthalmia & aliis affectibus bonum secutum quandoque effectum. Sed alia remedia idem effecerunt, quod postea fonticulis tribuerunt. Nonnulli per multos annos molestissimum & fœdissimum illud ulcus in corpore gestant, & nihil commodi inde sentiunt. Per revulsionem & attractionem agere dicunt fonticulos, & humores noxios à parte affecta hoc modo averti. Sed cum non detur attractio, & revulsio circulationi sanguinis repugnet, usus illorum plane corruit. Deinde ajunt, si pus generatur in vulnere inciso, aut per cauterium facto, hoc pus esse humorem, seu potius causam morbi in corpore. Ast si cogitent, quod hic ob incisum vulnus factæ sint obstructiones in tubulis, inde humorum circulatio prohibita, & ab aëre circum

ambiente humores corrumpi, saniora consilia suis ægrotis darent, nec talibus tormentis, & molestiis afficerent. Ex dictis igitur facile liquet, fonticulorum usum quoad præservandum in peste esse nullum; nam negato veneno, eductione ejusdem non opus. Possunt fonticuli forte usum aliquem præbere, si tale vulnus incidat in vas aliquod lymphaticum; Id quod raro accidit, cum earum sub cute decursum nemo certò indagare possit.

§. 33. Referuntur huc omnia odoramenta, Balsama varia, Moschus, Ambra, Zibethum, quæ præservandi fine in peste adhiberi solent. Sed cum eadem terrorem haud avertere possint, & plus nocuisse, quam profuisse observata sint, potius omittenda, quam probanda sunt. Omnium optimum est vitare omnia, quæ terrori ansam præbere possunt, manere domi, orare, & cogitationes à rebus tristibus avertere.

§. 34. Absoluta præservatione ad curationem me converto. Si ea, quæ in superioribus dixi, omnibus non arrideant, spero fore, ut ea quæ de curatione scripsero haud ingrata futura sint. Statim itaque, si quis peste corripitur remedia sine mora applicanda idonea, certi effectus, in justa dosi, & bene præparata. *Medicus autem ad ægrotum accersitus sit cordatus, & bene sibi ipsi persuadeat, venenum in peste nullum esse, adeoque non opus esse cucullatis, & quasi cataphractis Italicorum Medicorum longe simul ab ægroti lecto remanentium pestis tempore, vestimentis, solo tanquam diaboli nasuti visu ægris summum terrorem incutientibus, unde morbum suum tanquam desperatissimum & contagiosissimum autumant. Potius libero præsentique animo proxime ad ægroti lectum se sistat, & cum eodem amice colloquatur, nec in tanto periculo ægrum versari dicat. In eo autem sit totus, ut quantum fieri potest, ex animo ægri amoveat omnem suspicionem veneni, & terroris, cum in eo dimidium curæ situm sit.* Experientia docet morbo à Medico dissimulato & extenuato insigniter levatos ægros, & confidentiam in Medicum plus profuisse sæpius, quam medicamenta etiam pretiosissima. Id quod testabatur Gymnasiarchæ uxor, cujus supra mentio facta est. §. 9.

§. 35. Non possum quin paucis innuam Venæsectionem nullum hic usum afferre, cum mixturam sanguinis turbatam non possit restituere, sed eandem minuat, & spiritibus orbet. Imo

sæpe

ſæpe accidit, ut ægri, quibus prima vice vena ſecatur, in lipothymiam incidant, quæ ſumme in hoc morbo noxia, imo lethalis eſt. Par ratio eſt vomitoriorum & purgantium, quæ ad maſſam ſanguineam cum transgrediantur & eandem commoveant, nullo modo adhibenda. Me non movet in hoc paſſu autoritas Celeberrimorum Practicorum, forte hiſce levati ægrotantes, peſte non laborarunt, & ita à purgantibus bene ſe habuerunt. Quid expurgent, cum non adſit venenum? Præterea univerſale non eſt in peſte ſilere omnes morbos, ut ſupra jam adductum. *Centaurio Minerali Cardilucii utebatur in peſte Muhlhuſina Medicus quidam, horrendis & fere lethalibus vomitibus ſubſequentibus cum omnium ſymptomatum exacerbatione, unde poſtm. ab eodem abſtinuit.*

§. 36. Statim itaque ad ſudorifera, verum & unicum hujus morbi auxilium, eſt confugiendum: idque pro ratione ægri, & mixturæ ipſius ſanguinis, ſeu virium valore exhibendum eſt vel volatile, vel fixum, quod judicio experti Medici eſt committendum. Sed cum Medicus omnes non viſitet, nec ex relatione ſæpe ſtatum ægri plenarie haurire poſſit, ſatius eſſe putem in principio exhibere pulverem ex alcalicis cum ſale volat. autum. Ne nihil omiſiſſe videar, præcipua ſaltem bezoardica adducam, cum reliqua apud Autores ſatis videri poſſint. Inter volat. ſunt *ſpirit. C. C. Tinct. Bezoard. Michaël. Wedelii, & inprimis Parentis mei, quæ inter omnia mirandos effectus præſtitit, cum grati ſit ſaporis, & ſine nauſea in quovis vehiculo aſſumi poſſit; præſertim commodiſſime aſſumitur in lacte, ubi nihil omnino ſaporis habet, nec lac coagulat. Spirit. Theriac. Camph. Spirit. Viperar.* Hæc tamen per ſe non debent ſumi, ſed conjunctim cum aliis. *Sal volat. C. C. ſuccin. viperar. ſpirit. tartari non rectificat. Infuſum Bezoardicum. Spiritus fuliginis, & ſal volat. ejuſdem* (qui ſummopere licet à Cardilucio deprædicetur, & à Paſtore peſtilentiali Muhlhuſano, qui eum ex Cardilucio didicerat, multis venditus pro ſecreto, tanquam præſervativum certiſſimum, nullius tamen fuit ſucceſſus) *liquor C. C. ſuccinatus.* Quæ omnia ob particulas ſumme volatiles, circulationem ſanguinis augent, alium ætherem introducunt, & ita mixturam ſanguinis, obſtructiones auferendo, reſtituunt. Inter fixa ſunt optima *Antim. diaph. Oc. cancr. pulv. bezoard. Sennert, pulv. bez. Angl. bezoard. miner. Bolus*

Armena, terra sigillata. C. C. ustum C. C. Philosoph. præparat. Flor. sulph. flor. salis ammoniaci, pulv. pannon. rubcr. Prosunt etiam *Elect. de ovo, Mithridat. Theriac. Elect. Diascord. Fracastorii.* Quæ itidem agunt ob poros constantes amicum ætherem trajicientes. Ex his & supra dictis variæ possunt præscribi formulæ.

§. 37. Primo dato sudorifero non abstinendum, sed si ægri vires sustinere possint, post quatuor aut ad summum sex horas aliud sudoriferum est propinandum in vehiculo convenienti & appropriato, ut jusculo, vel aquis destillatis sudorificis, quales sunt *Aq. flor sambuc. rosar. fumariæ. Card. bened.* & aliis. Si æger par non sit ad ferendum sudorem, intra illud tempus reficiendus est vel *emulsione cordiali ex aq. destillatis, corall. alb. præparat. amygd. dulcib. oc. cancr. præpar. Antimon. diaph. &c. &, si calor non impedit, haustu vini. Vel aqua quadam spirituosa cordiali & aquis destillatis inter se mixtis, vel aliis confortantibus utendum.* Deinde sudoriferum iterum propinandum est. Bene autem sciscitetur Medicus ex adstantibus, aut si ipse ægrum non visitet, ex Chirurgo pestilentiali, quamdiu, & an æger cum levamine sudaverit, an dolor capitis, anxietas præcordiorum cessarint, ut juxta eorum relationem sudoriferum vel fortius, vel mitius, vel in forma pulveris, vel mixturæ propinare possit. *Novi virginem, quæ data mixtura bezoardica nunquam sudavit, sed dato pulvere optime & cum levamine sudabat.* Si æger non sudet, lateres calefacti, aut lagenæ stanneæ hunc in usum factæ, quales Batavi habent, plantis pedum admovendæ. Sudet autem duas, ad summum tres horas, si vires perferre possit.

§. 38. Mentionem hic facere debeo, quod fere fuissem oblitus lapidis Bezoardici, qui tantopere à quibusdam æstimatur, ut, nisi utatur eo Medicus in suis formulis, se morituros putent. De eo sequentia quasi in transcursu hic annotabo. *Lapis est inventus in ventriculis caprarum Indicarum, quarum magnum numerum alunt Incolæ Indiæ tam Orientalis, quam Occidentalis, ut nobis, qui novis valde delectamur, caro satis pretio suos lapillos, quos sæpe per alvum, si minores sint, capræ ejiciunt, vendant. Generatur ex particulis crassis, mucilaginosis terrestribus, accedente quiete, si nimium augetur, capræ inde ægrotant, & moriuntur. Constat ex multis lamellis sibi invicem superimpositis, coloris est fusci vel mixti ex viridi & nigricante.* A veteribus valdopere decantatur hic lapis in depellendo veneno per sudorem. Recentiores, cum maxima fraus

sub-

subsit, parum æstimant, artificialis enim naturali substituitur qui conficitur magna in copia à Judæis in Portugallia & aliis locis, cujus descriptio sumatur *ex Collegio Mat. Med. Hermanni Botanices in hac Academia Professoris, ante hac per Indiam Orientalem, nunc per totam Europam longe lateque Famigeratissimi, Praeceptoris & Patroni mei ætatem Honoratissimi.* Sancte testari possum, Parentem meum ne grano quidem lapidis Bezoardici usum, cum tamen multos ægros restituerit. De ejus insufficientia in sudore ciendo hic non agam, plura qui vult legat Autores.

§. 39. Sudore peracto æger sedulo ab ambiente aëre frigido tuendus, & in lecto hypocaustoque calidis detinendus. Necessarium non est, indusium cum novo commutare, si æger ingratum sudoris odorem perferre possit, retineatur illud, si vero non, aliud calefiat, eoque æger induatur. Per frigus, post sudorem cum levamine factum, pori corporis subito occluduntur, & transpiratio insensibilis impeditur. Præterea omnis subita mutatio in corpore pro periculosa imo lethali habetur à Practicis. Exempla talia multa possem adducere, sufficiat unicum. *Pannificis uxor, quæ jam fere restituta, cum nimium fideret sibi, viribusque suis, fenestram adit, inde lectum petens, subito moritur.* Qui suaserunt indusu mutationem, fecerunt ideo, ut venenum, quod putant cum lympha ex corpore expulsum, & in indusio contentum à corpore amoveatur, ne iterum per poros ingrediatur. Sed oculis apertis cæci sunt, quare non etiam mutant lectum, cum in plumis & stragulis magis latere possit venenum, & corpori denuo insidias struere? Linteaminum & indusiorum mutationem noxiam & lethalem fuisse, observat *Experientissimus Diemerbroek, qui de hoc videatur in tr. de peste.*

§. 40. Curationem & remediorum præscriptionem paulo prolixius tractare debuissem, nisi id toties jam factum vidissem. Brevibus tradam symptomatum curam, cum ea, si sunt urgentia, neglecto morbo attendere debeat Medicus. Dolor capitis, si dato sudorifero non cessat; aut si redit, leniendus epithemate *ex Aq. destill. rosar. solani, verbenæ, plantaginis, nucleis Persic. sem. papav.* Vel fiat frontale in forma pultis ex *sem. papaveris, hyosciami, addito opio Thebaico*, quod linteis duplicatis fronti applicandum. Vel instelletur vertici oleum aliquod destillatum appropriatum. Vomitus, horrendum symptoma, si materia visci-

 da,

da, aut bile tincta ejicitur, post duos vel tres vomitus, ne spiritus nimium absumat, & mixtura sanguinis perturbetur, sistatur. Hoc in casu egregia est potio *ex Elect. Diascord. Fracast. Antimon. Diaph. & pauxillo opii cum aq. destill. rosar. sambuc. &c. vel haustus vini calidi, in quo aromata cocta fuerint.* Si hæc nihil juvant, nec ventriculus assumpta retinet, haustus aquæ frigidæ juvat: Cujus exemplum vidi in Pharmacopœo pestilentiali. Ast tum æger relinquendus est, donec ventriculus cibos retineat. Eodem modo etiam Diarrhæa est tractanda, item Dysenteria, quoniam earum cura à vulgari nihil differt, prudenti Medico committenda.

41. In Hæmorrhagia narium præscribantur ea, quæ alias usitata sunt adstringentia. Sistitur optime *Aceto aquæ permixto*, & cum linteaminibus collo applicato. Sanguini hoc modo impetus adimitur, & tanta vi in vasa capillaria non irruit, hinc hæc vasa aliqualem quietem nacta coalescunt. Delirium cum symptoma etiam sit grave, sed utplurimum non diu duret, Medicus in hoc casu appropriata medicamenta sudoriferis admisceat. Quoad soporem statim est auxilium ferendum, & æger spiritu salis ammoniaci fortissimo ad nares applicato interne etiam ad ℥j l. ℥ij exhibito, expergefaciendus, vel, si hoc non succedat, videndum an medicamenta sudorifera ipsi possint propinari. Oculorum inflammatio juxta leges methodi medendi & praxeos est tractanda, ut & Epilepsia & convulsiones. Nimis excresceret dissertatio, & limites transgrederer, si omnia vellem pertractare. Adeat Practicos, qui plura de his cupit.

§. 42. Post hæc ad bubones & carbunculos accedo, quorum curationem ex Chirurgia petere necessum habeo. Bubones si erumpunt, & jam majores facti, statim emollientibus emplastris vel fotibus sunt tractandi, & si per se non aperiantur, ferro sunt tangendi, si maturi, post apertionem mundificandi, & mundificati, sanandi. Ad apertionem eorundem nonnulli hic præcipiunt cauterium vel actuale, vel potentiale. Sed cum per se doleant bubones, ob humorum circulantium sufflaminationem, dolor dolori tantus non est addendus, sed ferro melius & citius aperiuntur, si maturi. Ad attractionem eorundem, vel potius veneni, ut dicunt, vesicatoriis & cucurbitulis siccis utuntur. Sed cum & hoc modo dolor augeatur, & attractio non detur, possunt optimo

timo jure omitti, & tempus suppurationis & augmenti expectari. In principio statim fotu ex mollientibus herbis & radicibus in vino coctis eorum proventus plane potest impediri; restituitur enim confestim hoc modo circulatio humorum. Idem etiam facit *oleum scorpionum inunctum*, simulque dolorem sistit. Si accedit inflammatio refrigerantia leniora adhibeantur. *Empl. diachyl. c. gummat. cum capis sub. cineribus coctis* præstat emplastro arsenicali, quod nullos fere effectus præstitit, & magis nocuit quam profuit.

§. 43. Carbunculi aliam tractationem postulant. Pustula statim aperienda, materia exprimenda, & theriaca cum spiritu vini mixta in forma unguenti imponenda. Hoc remedio sæpe prohibita est inflammatio, & consequens gangræna, vulnusque sanatum est brevi. Si vero hoc non fiat, & inflammatio adsit cum ingenti dolore, anodyna cum medicamentis inflammationi aptis applicanda. Gangræna si succedat, an sapphiri, aut crystalli circa partem affectam circumductio, juxta Paracelsum & Helmontium eam sistat, & carnem corruptam excidere faciat, cum hac de re mihi certo non constet; nec experimento confirmatum sciam, nihil certi affirmare ausim. Gangræna sistatur scarificatione profunda, vel si hoc nihil juverit, butyro antimonii pars sana tangatur, ut corrupta caro excidat: post hæc debitis medicamentis, perita Chirurgi manu tractandi, donec sanati sint. Uberiorem curationem qui desiderat, apud Loimographos & Practicos eandem inveniet. Breviter, quantum potui omnia peregi. Styli elegantiam, saltem veritatis rationem habens non observari; non enim oratoris, sed Medici munere functus sum. Si, L. B. tibi placuerint approba, sin minus, invidioso Momi dente rodere desiste; si refutare Tibi animus, amice id facias, non jurgiis, & calumniis, (ut nonnulli facere consueverunt) sed rationibus & argumentis. Meliora docentem lubens sequar, & si erravero, cum nihil alienum à me esse putem, in errore non persistam, ut veritas elucescat, & proximi emolumentum tandem inde exsurgat.

CO-

COROLLARIA.

I. *Cor non est situm in sinistra thoracis cavitate.*

II. *Comedones & crinones non sunt vermes.*

III. *Datur liquor, qui injectus arteriæ emulgenti per poros ac tubulos renum pergit ad ureteres, ad vesicam, & per penem potest exprimi.*

IV. *Spiritus salis ammoniaci cum calce viva factus non inducit phthisin.*

V. *Morborum causas posse indagare, non facit Medicum, sed remediorum justa applicatio.*

VI. *Si datur Alcahest, datur ex Mercurio.*

VII. *Medicamenta sarcotica, & Epulotica nulla dantur.*

VIII. *Plurimi morbi imaginatione augentur, non vi causæ morbificæ.*

IX. *Veronica minus commode Herbæ Thee substituitur.*

X. *Canis Vaginæ uteri procidentiam passa, coit, & concipit.*

XI. *Clavi & verrucæ pedum non ab humoribus pravis, aut à bile oriuntur, sed sunt filamentorum cutis prolongationes.*

XII. *Sarcocele ex sanguine impuro ad testiculos aut scrotum affluxo, & in carnem degenerante, originem non habet.*

XIII. *Catarrhus non à capite, sed à proximis arteriis & vasis lymphaticis originem sumit.*

XIV. *Gustus & odoratus optimi, & certissimi virtutum plantarum indagatores.*

FINIS.